



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

Qui prætermittendi, & qui docendi, & qualiter corripiendi. ca. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

Qui prætermittendi, & qui docendi, & quæliter corripiendi. Ca. XIII.

A illis vero, quorum nulla speratur correctio. qui cum Pharaone obduruerunt, auertenda est diuini prædicatio est. Apostoli Iudæorum obstinatione offensi, dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit dominus. Ac ne aliter illum præcepisse credas quam egisse, nullum omnino Pilato dedit responsum, cum ab eo quid esset veritas interrogaretur: quia veritatis inimicus, de veritate sermonem audire indignus erat. Ideo Paulus & Barnabas (vt in actis apostolorum legitur) prohibiti sunt a spiritu sancto loqui verbum in Asia. Non sunt igitur mittenda euangelij margaritæ ante porcos, ne conculcent eas pedibus. Iniuriam sibi ipsi facit, inquit Salomon, qui erudit derisorem, & qui impium arguit, sibi maculam generat, & iterum ait. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui. Et fortasse non leuiter peccat, qui diuina mysteria ibi loquitur, vbi non est auditus, dicente propheta: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Illos vero qui libenter audiunt, & vitæ præceptis erudiri affectant, nolle docere cum didiceris impium est. Cur talentum tibi a domino ad negociandum creditum abscondis in terra serue neque? Cur otio deditus nihil facis lucris quam rationem reddes, cum ad illum vacuus redieris? Pastorem te dominus gregi suo præfecit, vides lupum venientem, & fugis: vides diaboli fraudibus ac dolo multorum corda subuerti, & negligis: ciuium tuorum suffodi spirituales domos intueris & races, canis mutus non valens, imo nolens latrare. Speculatorem dedi te domui Israel inquit dominus, audies ergo ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Abs te ergo regretur

Actu. 13.

Actu. 16.

Proue. 9.

Pro. 23.

Psal. 118.

Ezec. 33.

- perditæ ouis ratio, & negligis? Plebs tibi commissa, famem non panis, sed audiendi verbum dei patitur, & tu suppressis vitæ pabulum? nec attendis quod scriptum est: Qui absconderit frumenta, maledicetur in populis benedictio autem super caput vendentium? Dolet Isaias quod regem impium Oziam non corripuerit. Et vae mihi (inquit) quia tacui. Apostolus quoque; Vae mihi est, si non euangelizauero. At tu otiosus oscitas, & nec maledictione territus, nec benedictione illectus ad docendum inclinaris. Expergiscere tandem, aperi os tuum populo, lucrare domino, docendo, increpando, exhortando. Hoc fecit Christus, hoc Apostoli, hoc officium Episcopi est, quem te esse profiteris. Tibi dictum puta, quod per Isaiam dicitur; Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum: vel quod ad Ezechielem: Notas fac Hierusalem abominaciones suas. Durius acerbius tibi increpandi sunt, iam ad penitentiam inclinati, mollius. Corinthios interrogat Apostolus. Quid vultis (inquit) in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Ita autem moderanda correctio est, ut & mordeat peccatorem, & spe veniæ confortetur, ne ille abundantiori tristitia absorbeatur. Fragilitatis tuæ memor, aliorum infirmitatibus medere, & ad mentem reuoca præceptum Apostoli dicentis; Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans te ipsum ne & tu tenteris. Hoc est quod optat sibi psalmista, dicens; Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Optimum in præfide temperamentum est, miseratio cum iustitia. Miseratio enim sine iustitia, peccandi præstat audaciam. Iustitia sine misericordione, instar crudelitatis est, altera alterius ope indiget, ut correctio ipsa & corripientem commendet & emendet peccantem.

Vt prædicator ab adulatione procul sit, & prædicandi tempora obseruet. Caput xiiiij

Prouer. 11

Isaia. 6.

1. Cor. 9.

Isa. 58.

Ezech. 16.

1. Cor. 4.

Gala. 6

Psal. 140.